

accommodatissime. *Sic inquit, occultabitur vir in absconditis, & ego non videbo eum? dicit Dominus. Nunquid non caelum & terram ego impleo? dicit Dominus.* Est ergo religionis Christianae dogma multo certissimum & primarium, Deum locis omnino omnibus esse praesentissimum, & quidem, cum divini non possit, totum Deum. Hanc evidentissimam fidei nostrae veritatem praesae legis Triumviri sanctissimi, Noë, Iob, David probe perspexerunt, eam summè venerati. *Noë vir iustus atque perfectus fuit in generationibus suis: cõ Deo ambulavit.* Perinde uti duo euntes peregrè inter mutuos aspectus suaviter colloquuntur; alter alterum intuetur. Ita non solum Deus Noëm, sed & Noëm Deus identidem aspexit. Et nisi hoc sanctum exercitationis genus habuisset, mores tam sanctos inter vitorum colluivim, homines nequissimos, tueri agrè potuisset. Lasciuebat orbis univèrsus impiis deliciis intentissimus, at ille ambulabat cum Deo solum Deum respiciebat: hinc centum annorum aedificio molestissimo non succubuit.

Iobus de seipso: *Nõme ipse, inquit, considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Facile quis persuaderet sibi ipsi attendere, si cogitet gressus omnes, quibus nihil inest mali, à Deo numerari. Si numerat gressus, multo magis spurcas cogitationes, impios sermones, pravae actiones, Deus exactissimus est Arithmeticus, qui videt, auditque omnia, & nihil non habet in numeratõ. Quod & Iobus expendens: *Observasti, ait, omnes semitas meas, & vestigia pedum meorum considerasti.* Hoc me terret, continetque in officio.

Eiusdem animi beatissimus rex David: *Providebam, inquit, Dominum in conspectu meo semper.* Crebrius tui, mi Deus, recordor, cogitatione frequentius te quàm dexteram meam intueor: iugi hoc divinae praesentiae intuitu vit tantus, vir secundum voluntatem Dei enasit. Hæc illi studia sanctimoniam contulerunt. Nec ipse distitit. *Servavi, ait, mandata tua, & testimonia tua, quia omnes vias meas in conspectu tuo.* Hæc vna mentis exercitatio plurimos ad sublimem sanctimoniam gradum euexit.

Deum locis omnibus praesentem nec idololatram ignoratur. Homero Deus sol est omnia collustrans, omnina cernens. De supremi Numinis in omni loco praesentia Annæus Seneca pluribus epistolis ea diserit, quæ ab Ambrosio aliquo, aut Augustino, aut Chryostomo dicta, scriptave censæas. Hinc mores & vita Senecæ tam composita, & à vitis remota, ut viros non Christianos solum, sed & religiosos Deoque sacros in tuborem dare possit. Quisquis aut ignorantia aut desidia istud circa praesentiam divinam studium negligit, ingentem cumulum vitorum breui colliget: ita enim vivit, perinde ac si cum oculis omnium actionum arbiter non cernat.

Reperias asyllum alicuibi, quod securitatem magis promittat, quàm praestet, asyllum mendax & chartaceum, Iobus belli dux in asyllum se recepit, ad aram tabernaculi confugit. Quod ubi Salomon rescivit, eum exire iussit, Iobus noluit. Illuc igitur fulmen regum penetravit, & missa vox: *Invenisse eum ibi.* Ita plures è refugij latebris extracti, quod asyllum crediderunt, locum supplicij esse fenserunt.

§. II.

Peccatores nullum habent asyllum nisi diaboli. Vicinque culpis graavioribus se obstringunt, omnes vnicum habent asyllum, sed diaboli, sed chartaceum malè tutum. Nec enim in caelo securi sunt cum Lucifero, nec in terra cum Adamo, nec cum Iona in pelago, nec cum Iuda in tartaro. Hæc omnia latibula mente obiens David: *Si ascendero, inquit, in caelum, tu illic es; si descendero in infernum, adeo: si habitavero in extremitate maris, ades.* Nulquam asyllum, nusquam. Quibus ergo latibus homines vitiosi se abdunt, quo se asylo claudunt: diaboli chartaceo: asyli huius nomen est: *Non*

videor. Elatae mentis homo, factu virgibus, qui se aliis non equipare tantum, sed & praeterire audent, in asylo hoc confugit: *Non videor.* Ambitiosus, quem auræ dascunt inanes, qui basilicas in aère struit, in asyllum istud se recipit: *Non videor.* Qui iras & odia coquit, plenus invidia & aliena felicitate tabescens hoc ipso clauditur asylo: *Non videor.* Fures, obretractores, gancones, impositores, adulteri in hoc ipsum sese illatebrant asyllum: *Non videor.* Ipse etiam David in asyllum istud se proripere cogitans, iamque paucè fugam adornans: *Et dixi, forsitan tenebrae concubabunt me.* Quis enim resciat, quid in tenebris rex faciat? Perinde, ut ceteri à plebe, tutus latebo.

Sed pedem mox reuocans: *Quia, inquit, non tenebrae, obscuro abuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur.* O Domine, tui oculi in tenebris aequè omnia pervident, atque ipso claro meridie. *Et nox illuminatio mea in deliciis meis.* Voluptas, quam ego mihi in abdito quærebam, in aperitissimum lucem protracta est, scelera mea iam omnibus nota. Futuri in Bethlabeam amores, clancularia Vriae epistola, iam vbe toto, iam regno meo, iam orbe univèrso innotuerunt. Deprehensus sum in flagitiis, videor, Domine, videor, à tuis certè oculis, licet omnes humanos fallam, tuos fallere, sopire trios non possum. Medius mei pectoris, medius oris mei, medius mei cerebri, & corporis totius refides: quò vel oculus, vel manus, vel pes meus exerrat, te Deum inuenit praesentissimum. Arcanissima cordis mei penetrabilia, tibi, o Deus, nunquam non patent; Videor. Atque hoc illud omnium proborum asyllum est munitissimum: Videor, videor, o mi Deus, videor à te, est mortallium nemo videat. Hoc illud asyllum est quod à grauioribus noxis omnibus defendit ac protegit. Contra priores illos in cacodæmonis asylo malè latitantes Iaias altum vociferatur: *Ves qui profundi estis corde, ut à Domino abscondatis consiliis, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videt nos? & quis novit nos? Peruersa est hac vestra cogitatio.* Flagitiis exundat orbis; *Mundus totus in maligno positus est, non est qui faciat bonum, non est, quæque ad unum.* Ut autem tanto licentius peccent, ad vnum omnes confugiunt asyllum: *Non videmur.* Quod testatissimè affirmans Ezech. *Dixerunt enim, inquit, dereliquit Dominus terram, & Dominus non videt.* Idem imperitatis & nequitiae asyllum digito monstrans David: *Et dixerunt, inquit, non videbit Dominus, nec intelliget Deus Iacob.* Idem ex ore impiorum Iobus pronuntiat: *Quid enim novit Deus? & quasi per caliginem iudicat: Nubes latibulum eius, & nostra non considerat, & circa cardines cali perambulat.*

In hos iure merito exandescens David: *Intelligite, inquit, insipientes in populo; & stulti aliquando sapite. Quis plantavit auram, non audiet, aut qui fixit oculum, non considerat? Dominus scit cogitationes hominum.* Dei oculos omnia momento intuentes nemo claudet, nemo sopiet nemo eos velamine villo conteget: *Non praeterit illum omnis cogitatus, & non abscondit se ab eo omnis sermo.* Abscun & cor hominum inuestigavit; & in astutia cornu excogitavit. *Cognovit enim Dominus omnem scientiam.*

Iddcirco, mi Tobias, mi Christiane, omnibus diebus vite tue in mente habeto Deum; hæc praesentiam in omni loco assidue venerare. Huius praecipitio sacrae coniunctissimi est illa, quæ primam vitro sequitur: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo: vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permanant.* Quemadmodum autem fieri non potest, vt homo iam caelo receptus Deum apertè aspiciat, & Deum non intimè diligit; ita profertur fieri vix potest, vt quis Deum complectatur animo, & Dei praesentiam iugi veneratione prosequatur, & non singulis horis aliquoties Deum inuocet, ac laudet. Quam primum

Ter. 23. 24.

Genes. 6. 9.

Iob 31. 4.

Idem 13. 27.

Psal. 15. 8.

Psal. 118. 168.

Idololatram Deum locis omnibus praesentem esse non ignoratur.

3. Reg. 2. 29.

Psal. 138. 8. & 9.

Asyllum diaboli vocatur.

Non videor.

Psal. 138. 11.

Ibid. 13.

Ibid. 11.

Præsentia Dei est asyllum à noxis protegens.

Ibid. 29. 15. & 16.

1 Ioan. 5. 19

Psal. 13. 3.

Ezech. 49. 9.

Psal. 93. 7.

Iob 22. 13. & 14.

Psal. 89. 9. & 11.

Ecl. 42. 18. & 20.

Tob. 4. 6. & 7.

Ibid. 20.